



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

Pars I. De Pensione, & Reservatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](#)

## T I T U L U S XII.

*Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione  
conferantur.*

**A**Quissimum omnino est, ut, qui in Beneficii onera succedit, commodis quoque ejusdem perfruatur, juxta notissimam juris Regulam in cap. 55. de R. J. in 6. qui sentit onus, sentiat & commodum. Quapropter, ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, praesenti Rubrica, & nigro sub ea contento cavetur. Porro Beneficium sex omnino modis diminui potest. I. *Pensionis impositione.* II. *Reservatione*, ut dum Episcopus certam redditum partem ante collationem Beneficii sibi, aut alteri reservat. III. *Suppressione.* IV. *Dismembratione.* V. *Unione.* VI. *Divisione.* Quæ omnia regula riter Episcopis tum tot. b.t. tum in cap. 7. de Censibus cap. 30. in fin. de Præbend. Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 14. prohibentur. De singulis diminuendi Beneficii modis jam suo Ordine dicamus.

### P A R S I.

#### De Pensione, & Reservatione.

##### §. I.

*Quid sit Pensio? Et qualiter ejus impositio in collatione Beneficiorum Episcopis, aut aliis interdicta sit?*

##### S U M M A R I A.

1. 2. *Quid, & quotuplex sit Pensio?* 3. *Plures differentiae inter pensionem Laicam, & Ecclesiasticam assignantur.* 4. *Pensio Clericalis non venit nomine beneficii strictè dicti.*

1. **P**ensio juxta Cardin. in Clem. 1. de supplem. neglig. Prælat. ab eo sic dicitur, quod pendeat à Beneficio, sicut ususfructus à proprietate, & communiter à DD. describitur, quod sit certa portio ex aliquo Beneficio Ecclesiastico.

G g



siaſtico authoritate superioris iuſta de-  
caſa detracta, & Clerico, vel alteri con-  
ſtituta.

2 Dividitur Pensio in *Laicam* ſive  
*temporalem*, & *Clericalem*, ſive *Eccleſia-ſticam*. *Laica* eſt, quæ Titulo mere  
temporali, & ob ministerium mere  
temporale präſtitum, vel präſtantum  
*Eccleſiae*, conſtitui, & *Laicis* etiam dari  
ſolet, ut Advocato pro *Eccleſia* patro-  
cinanti, procuratori ad lites *Eccleſiae*,  
*Oeconoſmo* &c. *Clericalis* dicitur, quæ  
in illo, cui conceditur, ſtatūm *Clerica-lem*  
exigit. Et hæc rurſus vel eſt *ſim-  
pliciter spiritualis*, vel *media*, ſeu *mixta*.  
Prior datur ob ministerium ſpirituale,  
v. g. *Coadjutori Epifcopi*, *Vicario*, vel  
*Cooperatori Parochi* &c. Altera non ob  
ministerium ſpirituale conſertur, ſed  
ob aliam cauſam lucroſam, vel onero-  
ſam, putà Clerico ſeni, aut inopi ad vi-  
ta ſuſtentationem, vel ei, qui pinguius  
beneficiū cum tenuiori permutavit,  
vel in favorem alterius resignavit, aut  
lite Beneficiaria ceſſit. Cabalſut. *Theor.*  
& *Prax. Jur. Can. lib. 5. cap. 7. num. 4.*  
*P. Schmalzgrueber h.t. n. 2.*

3 Inter Pensionem *Laicam*, & *Cleri-  
calem* varias differentias collegit Bar-  
bos *J. E. V. lib. 3. cap. 11. num. 17. &*  
*seqq.* veluti I. quod *Clericalem* obtinens  
gaudeat *fori* privilegio, nou item is,  
qui obtinet *Laicam*, ſive *temporalem*.  
II. Quod prior impetrans beneficium,  
teneatur facere mentionem *pensionis*,  
non verò posterior. III. Quod Pen-  
ſio *Laica* non sit materia *Simoniae*, quia  
eſt res temporalis, pretio æſtimabilis,  
& quamvis à beneficio ſit detracta, eſt  
tamen à titulo *spirituali* separata. Se-  
cūs in Pensione *Clericali*, quam, cùm  
in *spirituali* titulo, & officio fundetur,

vendere non licet, fructus tamen pen-  
ſionis ad vitam locare, aut vendere,  
retento titulo, & Officii spiritualis ob-  
ligatione, non prohibetur. Barbos. cit.  
*cap. n. 25.* Bonacina de *Simon.* queſt. 4.  
punct. 13. num. 4. & ſeqq. Imo notat  
*ibid.* Barboſa, de ſtylo Curiae Romanæ  
ad evitandam omnis *Simoniae* ſuſpicio-  
nem neque pensionem temporalem  
vendi posſe, & contravenientem priva-  
ta authoritate reum fore *Simoniae Ec-  
cleſiaſtice*. IV. Quod collatio penſio-  
niſ Laicæ facta illegitimo, ſubſtitat.  
Non etiam penſionis *Clericalis*, quia il-  
legitimus eſt irregularis, & inhabilis ad  
Ordines. V. Quod per matrimonium  
contractum à conſtituto in *Minoribus*,  
vacet penſio *Clericalis*, non verò *Laica*.  
VI. Quod penſionario Clerico, pro-  
moto in Epifcopum, aut Religionem  
professo, vacet penſio *Clericalis*, non  
verò altera. VII. Quod ob penſionem  
*Clericalem* penſionarii teneantur reci-  
rare Officium B. M. V. ex *Conſtit.* *Pii V.*  
quæ tamen, teſte Layman, non ubique  
recepta eſt. Penſio verò *Laica* penſio-  
narium hac obligatione non onerat.  
Plures alias differentias Vid. apud Bar-  
bos. loc. cit.

Quæres: An Penſio *Clericalis* (pen-  
ſio enim *Laica*, cum non fundetur in  
titulo ſpirituali, nec ſtatūm *Clericalem*  
desideret, in quæſtionem venire non  
poteſt) nomine beneficij ſtrictè dicti  
comprehendatur? Respondeo non com-  
prehendi. Ratio eſt, quod beneficium  
ex ſua natura in perpetuum miniftri-  
orum, ſive Clericorum uſum ordinetur,  
& ſi vacat, alteri conſerri debeat, Pen-  
ſio verò ad modum *uſuſfructus* morte,  
vel renuntiatione uſuſfructus, ſeu  
penſionarii etiam ſine authoritate Or-  
di-

dinarii facta (secùs, ac in beneficio) penitus extinguitur. Accedunt Textus in cap. 4. de Præbend. in 6. ubi illi, cui de Beneficio provideri mandatum fuit, vi hujus decreti non potest de pensionibus provideri. In cap. 31. de Rescript. pensio à beneficio distinguitur. In Concil. Trident. Sess. 21. de Reform. cap. 2. nullus permititur sacris initiari ad titulum patrimonii, vel pensionis, nisi quem Episcopus pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum judicaverit assumendum, secùs verò ad Titulum

Beneficii. Et ita cum aliis tenent Petrus de Murga de Benef. Eccles. Quæst. 9. n. 13. Fagnan. ad cap. ad audientiam 11. de Rescript. n. 98. & seqq. qui etiam ad propositas à n. 75. usque ad n. 97. Objectione respondet num. 115. & seqq. Illam tamen modificationem, quam facit Gonzalez ad Reg. Cancell. Gloss. 5. §. 5. num. 2. non respuimus, quod scilicet pensio tunc propriè sit beneficium, quando aliud beneficium dismembratur, & ex ejus proventibus novum erigitur.

## §. II.

### *Quinam pensiones beneficiis imponere possint?*

#### S U M M A R I A.

5. S. Pontifex ex plenitudine potestatis omnibus beneficiis pensiones imponere potest.
6. In quibus casibus hæc facultas sit concessa Episcopis.
7. Pensio, quæ imponebitur à S. Pontifice, est onus reale, illa vero, quæ ab Episcopo, onus personale.

**D**ico I. S. Pontifex pro plenitudine sue potestatis omnibus omnino beneficiis pensionem imponere valet. per cap. 2. de Præbend. in 6. Supposito tamen, quod ejusmodi pensionis constitutio in utilitatem, aut necessitatem illius Ecclesiae, quæ hac pensione oneratur, cedat. Guilielmus Benedicti ad cap. Raynulfi de Testam. de fideicom. substit. part. 2. n. 36. Nam, ut notat Card. Toletus lib. 5. de instruct. Sacerdot. cap. 81. n. 4. dispensationes Pontificiaæ pro foro externo valent quidem semper, pro foro autem interno non aliter, nisi justa causa utilitatis, aut necessitatis ipsius Ecclesiae particularis, vel universalis nitantur, & ideo S. Bernardus Lib. de considerat. cap. 10. scribit: *Ubi necessitas urget, dispensatio ex-*

*-cusabilis est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria: nam, cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio.*

Dico II. Episcopi, aut alii Papa inferiores in certis duntaxat casibus ex justa, & rationabili causa, pensionem, non quidem perpetuam, sed temporariam Beneficiis imponere possunt. Pax Jordan. vol. 2. lib. 9. tit. 1. num. 489. & seqq. & quidem pro bono pacis, & concordia inter duos de beneficio contendentes, si nempe alter de beneficio cedere velit, constituta sibi pensione. cap. 21. de Præbend. item ob paupertatem, vel senium resignantis, quia censetur causa necessaria, aut ad coæquandos fructus in permutatione beneficio-

G g 2

rum,



rum, aut pro studio alicujus Scholaris pauperis, aut alio usu pio. Garz. part. 1. cap. 5. num. 296. Similiter licebit Episcopo ad expungendum æs alienum, quo Ecclesia gravatur, aut pro alia urgente necessitate, vel utilitate ejusdem fructus beneficii vacantis servare. Arg. cap. penult. de V. S. & cap. 10. de Rescript. in 6. cap. un. h. t. & ibi Panormit. quibus causis cessantibus cessabit etiam fructuum subtractio, & beneficia iterum sine diminutione conferenda erunt. Ut colligitur ex cap. un. h. t. regulariter enim id genus reservatio-nes fructuum in beneficiis vacantibus prohibitæ sunt, per cap. 5. de Offic. Ord. in 6. & cap. 40. de Elect. in 6. ubi dicitur, quod bona tempore vacationis ex beneficio obvenientia in utilitatem eorumdem expendi, aut futuris successoribus debeat fideliter reservari. Nisi, ut in cit. cap. 9. limitatur, de speciali Privilegio, vel consuetudine jam legitimè præscripta, seu alia rationabili causa aliquibus personis competere dignoscatur. Hæc ipsa tamen consuetudo non valebit, nisi in iis bonis, quæ deducto ære alieno, & ministrorum salariis supersunt. cit. cap. 9. §. porrò. P. Reiffenstuel h. t. §. 1. num. 8. § 9.

7 Quæres: An impositio pensionis sit onus reale, aut personale? Respondeo: ea, quæ à S. Pontifice imponitur, est onus reale, ipsique Beneficio adhæ-

ret, illa verò, quam Episcopus, aut alias inferior Prælatus constituit, onus personale est, ipsamque beneficiati, aut resignatis personam non egreditur. Ita tenent Garzias part. 1. cap. 5. num. 334. Van-Espen J. E. V. part. 2. cap. 5. n. 15. & seqq. Zypæus in Analyti ad h. t. Controv. 3. , ubi ait: Probabilior, & magis usitata in hisce partibus opinio est, Episcopo non super beneficiis, sed beneficiatis tantum pensionis impositionem concedi. Textus est in cap. 21. de Præbend. Atque inde ultrius dicti Authores concludunt, pensionem ab Episcopo impositam extingui morte beneficiati, nec transire in ejusdem successorem, tametsi pensionarius adhuc supervivat. Quod aliter se habet in pensione à S. Pontifice imposta, quæ instar servitutis realis ipsum beneficium afficit, & consequenter ad quemcunque beneficij successorem transit, quantumvis in litteris pensionis nulla mentio successoris facta sit, ut notant Gigas de Pensionibus quest. 44. & Fagnanus ad cit. cap. 21. num. 28. Quin dictus Gigas quest. 51. & Barbos. J. E. V. lib. 3. cap. 11. n. 70. autumant, pensionario competere actionem hypothecariam contra successorem tam universalem, hoc est, hæredem, quæ singularem ipsius beneficij pensione onerari, saltem pro terminis decursis, & non solutis in vita prædecessoris.

### §. III.

#### Quæ Beneficia pensione gravari possint? Et qualiter?

##### S U M M A R I A.

8. Regulariter penso iis duntaxat beneficiis imponi potest, quæ habent reditus superfluos. 9. Beneficiis Patronatis potest Ordinarius imponere pensiones sine consentia.

sensu Patroni, modo non sint perpetuae. 10. S. Pontifex, tametsi possit, ejusmodi tamen beneficia gravare non solet, nisi exprimat. 11. Distributiones quotidiane oneri pensionum regulariter non subjacent. 12. Qualiter beneficio pensio imponi valeat? 13. Pensionarius ad collectas tam ordinarias, quam extraordinarias, abstrahendo à consuetudine contraria, tenetur. 14. 15. Due aliae questiones ad hanc materiam spectantes resolvuntur.

<sup>8</sup> Pro Regula tenendum est, quod pensio nonnisi iis beneficiis imponi valeat, quæ reditibus superabundant, tenuia enim beneficia sicut huic oneri ferendo paria non sunt, ita eodem gravari non debent. Non enim decet unum Altare discooperire, ut alterum cooperiatur: ait Panormitan. ad cap. 9. de his, quæ fiant à Prælato n. 3. Eapropter Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 13. prohibet, ne imposterum Ecclesiæ Cathedrales, quarum reditus sumam *Ducatorum mille*, & Parochiales, quæ verum annum valorem *centum Ducatorum* non excedunt, ejusmodi pensionibus, aut fructuum reservationibus graventur, ratio est, quod aliæ vix idonei beneficiati reperirentur, si ea indistinctè pensionibus onerare liceret, & plerique viri docti tales Parochias ob exiguos reditus fugerent, ac subinde cura animarum indoctis pastoribus cum maximo ovium detimento committi deberet: unde stylus Curiaæ Romanæ inolevit, teste Van-Espen cit. part. 2. tit. 28. cap. 6. n. 5. ut in signatura pensionis super beneficiis Parochialibus apponatur hæc clausula: *dummodo ex fructibus dictæ Ecclesiæ centum Ducati liberi pro illius Rectore pro tempore existente annuatim remaneant.* Vallo autem dictorum *centum Ducatorum* æstimatur juxta valorem monetæ cuiuslibet regionis, & Provinciæ, in qua beneficium est situm. Barbos. ad dict. loc.

Conc. Trid. num. 14. Van-Espen d. cap. num. 6.

Quæres: An Beneficia Patronata sine consensu Patroni pensionibus vari possint? Item an hoc onus distributionibus quotidianis imponi queat? Respondeo, &

Dico I. Potest Ordinarius impone-re pensionem beneficiis sine consensu Patroni, modo hoc onus non transeat ad successores. Ratio Conclusionis est, quod nullo jure cautum sit, ut adhibeatur consensus Patroni. Panormitan. in cap. un. h.t. n. 20. Ratio limitationis est, quod tali modo Patrono præjudicium inferretur, quippe qui ad beneficium non amplius liberum, sed gravatum præsentare posset. SS. Canones autem non sinunt Patronis, maximè Laicis, præjudicium inferri, ne fundationibus, aliisque piis largitionibus absterrantur. Garzas part. 1. c. 5. §. 2. num. 359. Magnif. P. König h.t. num. 43.

Dico II. Potest S. Pontifex beneficiis Patronatis quibuscumque pensionem imponere, quod tamen regulariter facere non solet. Ratio primi mem-bri petitur ex cap. 2. de Præbend. in 6. ubi Clemens III. dicit, quod omnium Ecclesiæ plenaria dispositio ad Romanum Pontificem pertineat, ita, ut & vacantia conferre, & jus in vacaturis tribuere valeat. Ratio secundi est, quod hac potestatis plenitudine cum dero-

gatione juris alteri jam quæsiti uti non  
foleat, nisi id ipsum exprimat. Quare,  
si supplicans, tacita qualitate Juris pa-  
tronatus, pensionem super tali bene-  
ficio impetraverit, pensio est *subrepti-  
tia*, adeoque nulla. Garz. cit. loc. n. 361.  
Pitonius de *Controv. patron.* Tom. 2. al-  
legat. 56. num. 1. Card. de Luca de *Jur.  
patron.* discurs. 66. num. 14. Notat in-  
super P. König ad b. t. num. 43. quod  
pensionis constitutio, etiam à S. Pon-  
tifice facta, nulla, & invalida sit, si  
consensus ipsius beneficiati fuerit omis-  
sus, uti perspicue colligitur ex *regul.  
Cancell.* 45. ubi cavetur, quod litteræ  
reservationis, vel assignationis, etiam  
motu proprio cuiusvis pensionis annuæ  
super alicujus beneficij fructibus expe-  
diri non possint, nisi de consensu il-  
lius, qui pensionem tunc persolvere de-  
bet.

11 Ad secundum quæsitus dico, *di-  
stributiones quotidianas* onere pensio-  
nis gravari non posse. Ratio est, tum,  
quod distributiones quotidiane non  
computentur inter fructus, & proven-  
tuſ, qui pensionibus gravari solent,  
tum, quod durum videatur, ut de il-  
lis emolumentis, quæ dantur ratione  
servitii, ac laboris personalis, partici-  
pet aliis, qui nil laboravit. Card. de  
Luca de *Jur. patron.* disc. 10. num. 8.  
Paris. de *Resign. benefic.* lib. 6. quæst. 2.  
num. 29. Limitationem vide apud Van-  
Eſpen J. E. V. part. 2. tit. 28. cap. 7.  
num. 15.

12 Qualiter autem pensio sit bene-  
ficio imponenda, jam breviter exponen-  
dum. Ad hoc ergo, ut pensione gra-  
vari valeat beneficium, debet illud va-  
care, nec alteri jam fuisse collatum;  
nam si fiat in ipsa collatione, pericu-

lum est pactionis *fimoniacæ*, ut patet ex  
cap. un. b. t. & notat Fagn. ad cap. 21.  
*de Præbend.* num. 5. Si post collationem  
pensio imponatur, rursus non valet,  
quis jus ad omnes redditus beneficiato  
per collationem jam quæsitum, sine  
ejus consensu restringi, aut auferri non  
potest. l. 11. ff. de R. J. Barbos. de *Of-  
fic.* & *Potest.* Episc. part. 3. alleg. 58.

Sed an talis *pensionarius* ad Eccle-  
siæ reparationem, aliisque collectas  
ordinarias, vel extraordinarias pro ra-  
ta teneatur, quæreris? Respondeo, ab-  
strahendo à consuetudine, ob commo-  
dum, quod sentit *pensionarius*, etiam  
ab onere proportionato jure communī  
non relevari. Caccialupus de *Pension.  
quæst.* 17. Garz. part. 1. cap. 5. n. 171.  
Ordinariè tamen tales pensiones libe-  
ras, & exemptas designari solere, ut  
onera præstationum penes solum Re-  
ctorem maneant, eoque fine minor pen-  
sio detur, notat Azor. Tom. 2. cap. 9.  
q. 2. num. 7.

Duo alia hic adhuc quæri possunt. 14  
I. An valeat statutum, quo beneficiat-  
us obstringatur, ut per annum, vel  
aliud tempus serviat Ecclesiæ, nec fru-  
ctus interim percipiat, nisi peracto illo  
servitio, aut, si eum intra hoc tem-  
pus mori contingat, fructus hæredibus  
debeantur? II. An valeat consuetudo,  
aut statutum, quo à Canonico noviter  
recepto, aut recipiendo aliquid exigitur?  
Ad primum quæsitus ratio du-  
bitandi petitur ex Concil. Trid. *Seſſ.* 24.  
*de Reform.* cap. 14. ubi S. Synodus im-  
probat omnes consuetudines, vel con-  
stitutiones, vi quarum in quacunque col-  
latione, provisione, vel admissione ad  
possessionem beneficij, vel præbendæ,  
certæ deductiones, solutiones, pro-  
mis-

missiones, aut compensationes in alios, quām pios usus vertendae interponuntur. Attamen sub hac prohibitione non comprehenditur dictum statutum, quia vi illius nihil accipitur pro ingressu ad beneficium, nec illa fructuum reservatio cedit in utilitatem exigentium, nec fructus ipsi beneficiato auferuntur, sed tantum differuntur, & ita cum Garzia part. 11. cap. 5. n. 138. tenet Barbos. ad cit. loc. Concil. num. 3. § 4. Leurenius in for. benefic. part. 3. Q. 103.

<sup>15</sup> Ad quæstum secundum respondet Barbos. cit. loc. num. 5. § 2. seqq. consuetudinem exigendi aliquid à Canoniciis noviter receptis, si id ipsum, quod offertur, pro fabrica Ecclesiæ, aut in alios usus pios convertatur, improban-  
dam non esse, secùs, si in ipsorum capi-  
tularium utilitatem cederet, ut resolvit Garz. part. 8. cap. 1. num. 90. Pa-  
normitanus tamen hanc quæstionem, ad-  
hibita alia distinctione, resolvit, ad c. 9.

de Constit. num. 25. ubi dicit, si statuto capitularium cautum sit, ut quid à recipiendis exigatur, etiam in utilitatem Ecclesiæ convertendum, statutum illud non teneat, ob textum apertum in cap. 9. C. 1. Q. 3. ubi dicitur, à beneficiato nil exigi debere, etiam, ut illud convertatur in utilitatem Ecclesiæ, ne beneficia videantur pretio concedi. Sin vero consuetudine id introductum fuerit, consuetudinem damnandam non esse. Rationem disparitatis hanc assi-  
gnat, quod statutum habeat initium coattivum, & paria sunt, petere expre-  
sè, vel per statutum. Consuetudo ve-  
rò habeat principium voluntarium, qua-  
tenus nempe noviter recepti spontanea,  
& libera voluntate potuerunt aliquid offerre, in utilitatem Ecclesiæ applican-  
dum, ex quibus obligationibus volun-  
tariis dein induci potuit consuetudo,  
& in hoc sensu etiam intelligi vult.  
cap. 42. de Simonia, ubi fusè tractan-  
tem vide num. 4.

#### §. IV.

#### De Anno deservito, Anno carentiae, & de Annalibus, sive Anno gratiae.

#### S U M M A R I A.

16. Quid fit Annus deservitus? & an Canonicus, si intra Annum obeat, fructus de-  
servitos ad hæredes transmittat: aliorum sensa referuntur. 17. Nos pro ra-  
ta temporis deserviti fructus hæredibus assignamus. 18. Quod etiam de Pen-  
sionario intelligimus 19. Non obstante contraria, 20. à quo tempore incipiat  
Annus in ordine ad computandos fructus pro rata temporis. 21. Quid fit  
Annus carentiae? 22. Fructus Anni carentiae ad hæredes defuncti beneficiati  
transeunt. 23. Quid fit Annus gratiae. quomodo hoc privilegium per Ioan-  
nem XXII. fuerit modiscatum? 24. S. Pontifex concedendo privilegium An-  
nalium ad beneficia vacantia generaliter, etiam beneficia patronata complecti  
voluisse præsumitur, tametsi non expresserit. 25. Episcopus regulariter pri-

vi



vilegium Annalium concedere nequit. 26. *Annus gratiae*, qui consuetudine, aut statuto introductus est, convenit cum Anno carentiae, non item, qui privilegio concessus fuit.

**C**ommoodum hic se occasio offert, agendi de *Anno deservito*, & *Anno carentiae*, qui in quibusdam Germaniae Capitulis non tam jure communi scripto, quam consuetudine, aut particularibus locorum statutis introducetus fuit, nec non de *Annalibus*, sive *Anno gratiae*, de quo extat constitutio Joannis XXII. in Extravag. 2. de Elect. Et Extrav. un. Ne sede vacante inter commun. De triplici hac anni specie prolixè agit Bœhmerus ad Tit. de *Præbend.* à §. 211. usque ad fin. De ultima etiam Eminentiss. Vincentius Petra in *Comment. ad Constit. Apostol.* Tom. 4. pag. 44. Et seqq. Lotter de *re benefic.* lib. 3. Q. 20. num. 2. Et seqq. Nos, quæ à prælaudatis Authoribus plena manu nobis communicata sunt, compendio referemus.

26 Igitur *Annus deservitus* à servitiis, denominationem habet, & denotat illa commoda, & redditum emolumenta, quæ Canonicus ob servitia in Ecclesia sua actu jam præstata promeruit, sive, quatenus dies eorum cessit (ut verbis Bœhmeri utar) & beneficiario pro rata officii præstati jus perfectum in ea quæstioni est, quounque denum tempore dies eorum veniat. Contentiosa jam se insinuat quæstio, an, si Canonicus intra Annū obeat, totius anni fructus censeantur esse deserviti, sive pro servitiis præstatis debiti, ita, ut in hæredes totius anni fructus transmittantur, num verò pro rata Anni duntaxat, quo Canonicus mortuus est? Fuerunt enim Juris-Consulti ex prote-

stantibus quam plurimi, quorum aliquos allegat Bœhmerus ad cit. tit. n. 229. qui putarunt, horum annuorum reddituum diem cedere ab initio cuiuscunquam anni, & consequenter, mortuo Clerico, totius anni redditus in hæredes ejus transmitti, argumento desumpto ab aliis *salariariis*, quorum hæredes totius ultimi anni salaryum, ut illi vel sub initium, vel sub finem anni decesserint, petere, & vindicare possunt per l. 4. ff. de *Offic. Assess.* & antiqui interpretes ibidem. Orthodoxis fortè DD. categoricam hujus dubii resolutionem dare, difficilius accidet, eo quod altera quæstio præjudicialis, num *Clerici redditum*, & *fructuum domini* fiant? & num *testamenti factionem habent*? adhuc in ancipiis hæreat. Fuerunt equidem, maximè ex antiquis, qui Clericis respectu honorum superflorum, prospectu Ecclesiæ acquisitorum, omne dominium abjudicarunt, & in horum sententia nihil de fructibus ultimi anni hæredibus defuncti Clerici attribui posse palam est. Sunt rursus alii, qui negant, Clericos jus testandi de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis vel consuetudine, vel dispensatione Apostolica acquirere posse, qua stante hypothesi procul dubio nihil ad hæredes de fructibus deservitis pervenire potest, sed, quidquid à defuncto relictum est, ad Ecclesiam reverti debet. Alii ejusmodi beneficiarios *usufructuariis* comparant, & quod jus de his statutum est, illis applicant: sicut ergo inter *proprietarium*, & hæredes *usufructuarii* taliter fit

fit divisio, ut fructus pendentes, & ab usufructuario in vita nondum percepti transeant in dominium proprietarii, *percepti* vero ad hæredes usufructuarium transmittantur, §. 36. J. de R. D. l. 25. §. 1. ff. de Usur. ¶ *Fruit.* Ita eadem omnino partitio fructuum inter defuncti beneficiarii hæredes, & ejus in beneficio successorem servanda sit. Nos neutri sententiae subscribimus. Negamus, beneficiarios jure *usufructuariorum* censeri, utut aliquam inter utrosque convenientiam dari concedamus. Dominium Clericis in bonis Ecclesiasticis non admimis, ut nec testamenti factionem, si illa vel Apostolico indulto, vel consuetudine obtenta sit. Id quod suo loco inferius demonstrabimus.

¶ 17. Facimus subinde cum illis, qui fructuum *deservitorum* eam partitionem instituunt, ut pro rata temporis, quo defunctus beneficiarius Ecclesiæ deserviit, fructus transmittantur in ejus hæredes, pars reliqua successori relinquatur. Hæc sententia patronos nacta est Covarruviam lib. var. *resolut.* cap. 15. num. 12. Ludovicum Molinam de Majorit. Tract. 2. disp. 635. Gigas de Pension. quest. 53. num. 1. Boehmerum ad Tit. de Præbend. §. 232. ¶ *pluribus seqq.* & alios complures, quos resert, & sequitur Garzius part. 2. cap. 1. num. 97. Rationem hujus asserti unicam duntaxat afferrimus, solidam tamen, & efficacem, utpote in iure tum naturali, tum positivo fundatam, quia videlicet fructus, redditusve beneficii dantur propter officium, & servitium spirituale præstitum, quatenus beneficiarius inde sustentari, & onera beneficij tanto facilius sustinere valeat, æquum enim

est, ut, qui sentit onus, correspondens eidem sentiat commodum, & qui Altari servit, pro modo servitii de Altari vivat. Zypæus in Consult. Canon. ad tit. de Success. ab intest. consult. 4. n. 3. Unde sicut fructus dotis, qui marito ad matrimonii onera sustentanda, spestant ultimo anno ad maritum pro rata temporis illius anni quo onera matrimonii sustinuit. l. 7. §. 1. ff. solut. matrim. ita fructus beneficij pro rata temporis, quo illud beneficiarius administravit, oneraque sustinuit, ad hæredes eo decedente, pertinebunt.

¶ Eadem conclusio procedit etiam in 18 Pensionario, quem Gigas de Pension. quest. 49. num. 53. haud legitimè *usufructuario* assimilat: licet enim in eo admittam parificationem, quod sicut *ususfructus* morte *usufructuarii* extinguitur, ita decedente *pensionario* *pensio* expiret, tamen in aliis multis *pensionariis* ab *usufructuario* differt. Sic *ususfructus* in fructibus, *pensio* vero in ipso beneficio constituitur, neque solvenda est pars fructuum, sed regulariter certa pecuniaæ quantitas. Præterea *pensio* in eo quoque ab *usufructu* discrepat, quod iste ex quacunque causa constitui possit, *pensio* vero præcisè alimentationem *pensionarii* intendat; unde ei ad alimenta solvenda pro rata temporis, quo vixit, jus jam fuit quæsumum, ac subinde illud ad hæredes suos transmittit. Molina cit. loc. num. 9. Covarruv. cit. cap. 15. num. 13.

¶ Et licet opponatur, quod *salaria*, 19 quæ in singulos annos constituuntur, anno nondum elapsò, exigi nequeant, eo, quod se habeant instar *compensationis*, quæ, antequam ministerium sive servitium præstitum fuerit, exigi nequit.

H h.

quit.

quit. Idem procedit in fructibus prædiorum rusticorum, qui certo anni tempore percipiuntur. hi enim, si alicui in vicem salarii dentur, eo demum tempore, & non prius præstandi sunt, cùm percipiuntur. Similiter decimæ antea exigi nequeunt, quām fructibus à solo separatis. Sic etiam *pensiones* ad certos dies restringuntur, ita, ut v.g. in die S. Martini, S. Michaëlis solvi debeant, quæ subinde, ante diei hujus adventum peti nequeunt, cùm in hunc finem certus dies pensionibus solvendis dictus fuisse censetur, ut eo demum tempore efficax obligatio nascatur solvendi salaria, sive pensiones. Ad hæc tamen opposita respondet, quod quidem recentissi fructus, salariia, aut pensiones *jure perfecto*, antequam dies veniat, exigi nequeant, hoc est, non potest totius anni salario ante finem anni simul exigi, nec pensiones locationum, fructibus à colono nondum collectis, quia tamen & *labor*, & *pecunia*, ut juris-consultus ait in l. 10. princ. ff. de Ann. legat. divisionem recipit, hinc æquitas dictat, ut, quatenus ministerium, pro quo annum salario promissum, præstitum est, eatus jus in salario successivè consequatur salarius, ac consequenter successivè, & per partes salario annuum eidem præstetur, id quod etiam observantia communis confirmat, & hoc in omni ea divisione observati æquum est (scribit Zypæus loc. cit.) ubi provenitus assignantur non præcisè jure dominii, aut ususfructus, sed intuitu operæ, laboris, aut officii. Qua ratione etiam beneficiarius jus ad fructus sui beneficii, quo eidem deserviit, jam consecutus est, ita, ut, infra annum eo dece-

dente, jus exigendi fructus pro rata temporis ad hæredes transmittatur. Aliis argumentis referendis supersedemus, cupidum lectorem ad Boëhmerum remittentes, qui hanc sententiam cit. tit. §. 237. & seqq. pluribus argumentis fortiter munit, & AA. assultus generosè retundit.

Illud porrò indagandum jam est, 20 à quo tempore incipiat annus ipsi beneficiario in ordine ad emolumenta & beneficii proventus currere, nisi enim de hujus initio constet, accuratus caculus duci non potest, quid, quantumque pro rata temporis ipsius beneficiarii hæredibus ex fructibus debeatur. De hoc termino à quo Ecclesiæ Cathedrales mirè variant. In Episcopatu Abulensi Annum à primo die Januarii computari, testatur Garzias cit. loc. num. 99. In Hispania passim à Nativitate Domini Anni initium capitur, teste Molina loc. cit. „ In pluribus Ecclesiis (scribit Zypæus cit. consult.) annum computari consuetum est à festo S. Joannis, aut alterius Sancti pro cuiusque Ecclesiæ observantia, eo, quod ad eum diem præcisè beneficiarii residentiam inchoare possint, & debeat; & revoluto anno ad eundem diem finiant: unde eundem computum fructuum ratio sequitur, ut ad ratam præstiti eo anno servitii debeatur rata fructuum, respondéatque ratum operæ pretium, quatenus operarius dignus est mercede sua. Quæ doctrina, ut procedat, habendam quoque esse rationem residentiæ, benè monet Boëhmerus ad cit. tit. §. 258. ita scilicet, ut non sufficiat, Canonicum defunctionum ad aliquot menses anni ultimi vixisse, sed etiam de- fide-

fideretur, ut residentiam inchoaverit, & pro aliqua temporis parte perfecerit. Nam reditus præbendæ dantur propter *Officium sacrum*, quod sine residentia perfici nequit. Interim, cum in plerisque Ecclesiis Cathedralibus ille rigor residentiae, qua secundum præscriptum Concilii Tridentini deberet esse novem mensium, consuetudine contraria fuerit mitigatus, & minus jam tempus sufficiat, v.g. semestre, trium mensium, aut tempus etiam brevius, judico cum laudato Boehmero, si *Canonicus* residentiam trimestrem v.g. ex integro absolvit, & deinde moriatur, hæredibus ejus integros fructus ultimi anni deberi, etiam in iis Capitulis, ubi *pro rata* tantum fructus deserviti censentur. Ratio est, quod fructus beneficiorum debentur *Canonicos* propter *Officium sacrum*; hoc vero juxta hodiernam consuetudinem Capitulorum censetur absolutum, si debito, & præscripto tempore *Canonici* residentiam absolverint, & ita fructus integri quoque deserviti videntur. An haec doctrina procedat non tantum pro casu mortis, sed etiam resignationis, vide Boehmerum loc. cit. §. 259. & seqq. qui similiter accuratè examinat, quomodo computatio fructuum ultimi anni fieri debeat, si ejus initium à certo aliquo Festo. V.G. S. Michaëlis ducatur, & qualiter illa instituenda, quando fructus ex *prædiis rusticis* debentur, quia hi regulariter sub initium mensis Septembris maturari, & colligi solent. Hæc de *Anno deservito*.

21 Alius porrò *Annus* moribus variorum Capitulorum invaluit, qui vocatur **ANNUS CARENTIAE** das *Carentz-Jahr*, vi cuius noviter præbendati, ab-

soluto Anno Claustral, seu probationis, per unum, vel duos, imò etiam tres Annos redditibus carere debent, quantumvis interim æque ac alii *Canonicci*, qui jam reditus percipiunt, Officia sacra obeant. Ne tamen gratis deservire videantur, sic proventus horum annorum reservantur, præstandi *Canonici* hæredibus, postquam is vita functus fuerit. Vocantur subinde isti *Anni carentiae* generaliter die *Nach-Jahre*. Num vero isti *Anni carentiae*, sive consuetudo reservandi, modo explicato fructus præbendæ jure defendi possit, aliquando dubitatum fuit, rationem dubitandi suggeste Conclilio Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 14. quæ in collatione aut provisione beneficiorum, *Canonicatum*, aut præbendarum ejusmodi *reservationes*, aut fructuum deductiones detectatur, & post hac fieri vetat. Consulta desuper Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum sic censuit, quod nec Decreto Concilii Tridentini Sess. 24 de Reform. cap. 14. nec Bulla Pii V. super bac eadem re edita comprehenduntur statuta Ecclesiarum deserviendo per annum, vel aliquod tempus, & nihil percipiendo interim de massa grossa, nisi peracto integro dicto servitio, vel quod post obitum hæredibus debeatur, cum sit potius differe, quam auferre. Et in una Mediolanensi sic censuit: Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit *Canonicus*, fructus *Canonicatus* sint hæredum *Antecessoris*, iste casus non comprehenditur Decreto cap. 14. Sess. 24. nec Bulla Pii V. quod refert Leo cap. 32. num. 6. Utramque hanc declarationem Garzias part. 11. cap. 5. num. 138. refert, qui num. seq.

H h 2

in-

insimul adducit Decisionem Rotæ, quæ ejusmodi consuetudinem ex hoc Capite approbat, quod eo fine fuerit introducta, ut post obitum Canonorum provideri possit de iis, quæ ad sepulturam sunt necessaria, cum experientia priorum temporum docuerit, ejusmodi funeralia ob inopiam defunctorum Canonorum fuisse neglecta, non sine magno Ordinis Ecclesiastici dedecore, unde hæc consuetudo neutquam à Concilio dicitur. Sess. est reprobata, sed illa duntaxat, qua ejusmodi deductio-nes, aut reservations fructuum pro admissione ad beneficium à noviter præbendatis exactæ applicantur mensæ Episcopi, vel mensæ Capituli, & inter antiquiores Canonicos dividuntur. Rota decisi. 660. per tot. part. 4. divers. Lotter de re benefic. lib. 3. Q. 20. n. 12.

¶ 13.

22. Circa fructus Anni carentie simili-ter queritur: An, Canonicæ vita fun-cto, ad hæredes ejus transeant? Affir-mare nullus dubito, nam fructus hi in-tuitu illorum annorum præstantur, qui-bus defunctus eosdem ob servitium sacrum à se præstitum jam promeruit; illa quippe carentia jus exigendi dictos fructus & redditus non tam abstulit, quæ distulit; quapropter inter annos deservitos, & annos carentie in effectu nihil interest, cum utrobique benefi-ciario jus ad proventus beneficii jam deservitos perfectè sit quæsumum, & consequenter ad hæredes transmissi-bile.

23. Jam etiam de Annalibus, sive de An-no gratiæ dicendum restat. De eo fit mentio in cap. 10. de Rescript. in 6. & Extravag. 2. Joan. XXII. de Elect. & Extravag. un. Ne Sede vacant. inter

commun. Per Annalia autem, sive Annum gratiæ nihil aliud intelligimus, quæ speciale quoddam indulatum, quo certis quibusdam personis datur facul-tas, beneficio vacante, ejus fructus pro primo, aut ulterioribus annis percipiendi. Constituuntur ejusmodi Annalia vel per privilegium, vel per consuetu-dinem, aut statutum. Ut colligitur ex d. Extrav. 2. de Elect. quæ, cum à jure communi, quo jubentur Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferri, ve-hementer exorbitent, strictè interpre-tari convenit. Olim eorum usum fre-quentiorem fuisse constat ex dicitur. Ex-trav. 2. quoniam vero in cultus Divini notabile detrimentum vergere visus est, eo, quod noviter de hujusmodi beneficiis provisi, fructibus primi anni, aut ulteriorum annorum in totum fru-strarentur, siveque & ipsi cultus Divini, eorumque onerum, ac Officiorum spi-ritualium, quæ beneficiis adhærent, cu-rarum negligerent, Joannes XXII. in cit. Extrav. 2. tale moderamen adhibuit, ut in beneficiis, quæ secundum decima-rum proventus taxari consueverunt, ea summa taxata ipsi Annalistæ contenti sint, reliquis beneficii redditibus bene-ficiato relictis, aut, si malint, dimissa eidem beneficiato prædicta summa de-cimali, residuum sibi assumant: Electio autem percipiendi unam de istis duas portionibus sit penes Annalistam, ut sic minus gravetur in eo, quod reli-quum sibi aufertur: quod si tamen intra decem dies jure optandi Annalista usus non fuerit, electio ipso jure trans-fit in beneficiatum. In beneficiis verò non taxatis fructus decimabiles in duas partes dividantur, quarum pars una be-neficiato, altera dumidia Annalistæ ob-ve-

veniat, cui partitioni si alteruter parere nolit, pars contradicentis volenti accrescat. Hac moderatione Joannes XXII. utriusque satisfactum iri creditit, ut & beneficiatus habeat, unde onera beneficii facilius supportare valeat, & Annalista, ne fructretur in totum effectu privilegii, vel consuetudinis. Vivianus ad d. Extrav. 2. Eminentiss. Vincen-  
tius Petra tom. 4. pag. 44. num. 1. qui num. 12. ait, sine absurdio hodie Anna-  
lia beneficiorum ad favorem alterius constitui posse ad formam d. Extravag.  
tam ex privilegio, vel statuto, quam ex consuetudine.

**24** Quæres I. An, si S. Pontifex generalibus verbis concedat privilegium *Annalium*, censeatur comprehendere voluisse etiam beneficia, quæ sunt *juris Patronatus Laici?* Rationem dubitandi videtur suggerere illa Regula generalis, quod Papa in dubio nunquam præsumit velle uti sua potestate in præjudicium Patroni Laici per cap. 32. C. 16. Q. 7. cap. 28. de *Jur. Patron.* nec eidem derogare, quando derogatio non ad Ecclesiæ servitium, & cultus Divini incrementum, sed commodum duntaxat alterius privati cederet. Ut habet Pitionius de *Controv. Patron.* tom. 1. alle-  
gat. 44. num. 21. Verum contrarium dicendum cum laudato Petra cit. tom. pag. 45. n. 15. & Lambertino de *Jur. Patron.* lib. 3. Q. 2. art. 8. n. 6. quia per ejusmodi reservationem *Annalium* nihil quidquam præjudicatur Patrono Laico, nec enim impeditur in exercitio juris præsentandi, sed solummodo ad tempus p̄ ortio fructuum beneficiari detrahitur. Quod ibi amplius firmat Petra adducta *Decisione Rotæ 320.* n. 1. & seqq. coram Mantica quæ dicit,

quod privilegia hujusmodi *Annalium* comprehendant omnia beneficia qualitercumque qualificata.

Quæres II. An Episcopus ejusmodi *privilegia Annalium* concedere possit in beneficiis sibi subjectis? Respondeo, regulariter, & de via ordinaria non posse, quia beneficia integra, & sine diminutione conferenda sunt, per *Rubricam* & cap. un. ut *Eccles. benefic. sine diminut.* Quòd si tamen urgeat iusta quædam, vel necessaria causa, Episcopo vetitum non est, adhibito saltem consensu Capituli, redditus beneficii vacantis sibi subjecti ad pium, & laudabilem usum deputare. Gloss. in *Extravag. un. Ne Sede vacant. inter commun.* Passerinus ad cap. 10. de *Rescript. in 6. n. 22.* Lotter eit. quest. 20. n. 6. In suum tamen commodum citra dispositionem Apostolicam, fructus beneficii convertere non potest, per cap. 10. de *Rescript. in 6. cap. 9. de Offic. Ordin. in 6.* quod cit. Petra num. 22. & seqq. amplius declarat.

Quæres III. An hoc privilegium *Annalium*, sive *Annus gratiæ* sit aliquid distinctum ab *Anno carentiæ?* Boehmerus ad Tit. de *Præbend.* §. 220. existimat vocabulis tantum differre, non re ipsa, & ita accipit verba Joannis XXII. in d. *Extravag. 2. de Elec.* Nos à Boehmero non dissentimus, si loquatur de *anno gratiæ*, qui per consuetudinem, aut statutum introductus est, cum enim ejusmodi consuetudines, aut statuta in eum finem condita fuerint, ut decedentibus beneficiatis, ære alieno multum gravatis, ex his *Annalibus* iusta persolverent hæredes, & debita contracta expungerent, prout similem consuetudinem generaliter in Hispania vigere te-

statur Covarruv. in cap. 7. de Testam.  
num. 9. Gutierrez QQ. CC. lib. 1. cap. 29.  
num. 29. § 30. Recè cum Annis caren-  
tiæ convenire dixeris, quia, sicut bene-  
ficiato, qui primis annis fructibus care-  
re debuit, ejus hæredibus post mor-  
tem restituuntur, ita taliter proviso, ut  
pro primo anno medietatem duntaxat  
fructuum sui beneficii capiat, nullum  
sit præjudicium, siquidem, eo defun-  
cto, hæredibus vigore hujus consuetu-  
dinis, aut statuti, altera medietas per-  
solvit, & sic nihil amittit, nec aufer-  
tur, sed tantum differtur solutio, prout  
firmat Garzias declarationibus Cardi-  
nalium S. Congregationibus part. 11.  
cap. 5. §. 1. num. 137. & seqq. Petra  
pag. 49. n. 26. Quòd si verò ejusmodi  
*Annalia* ex speciali favore Sedis Apo-  
stolicæ alicui concedantur, sunt actus  
meritæ gratie; nec dici potest, Annali-

stam habere aliquod jus strictè dictum  
ad ejusmodi fructus, utpote quos non  
tanquam stipendum propter Officium  
spirituale percipit, sed prorsus gratuito  
citra omne meritum, ideoque eosdem  
ad hæredes non transmittit. Aliter  
*Annus gratiae* apud Protestantes conser-  
vatur, hi enim concedendo *Annalia*  
viduis, & liberis suorum pastorum pro-  
spicere volunt. Quia verò in Ecclesia  
orthodoxa ejusmodi impedimentis non  
decet onerari beneficiatos, eorum cura  
quoad *Annūm gratiæ* nos non angit.  
Boehmerus cit. tit. à §. 289. usque ad  
finem harum personarum miserabilium,  
scilicet pastorum, eorumque uxorum  
patrocinium suscepit, cui tutelæ glo-  
riam, & gratiam, quam ab ipsis homi-  
nibus init, neutiquam invidemus. Per-  
gimus jam ad Partem II.

## P A R S II.

### De Suppressione Beneficiorum.

#### §. Unicus.

*Quid sit suppressione Beneficii? Ex quibus causis, & à quo  
fieri possit?*

#### S U M M A R I A.

- 27. *Suppressione beneficij regulariter est prohibita, certis tamen casibus bona fide, & licita.*
- 28. *Eam solus Episcopus, cum consentu Capituli facere.* 29. *Non tamen fructus  
beneficij suppressi mense Capituli applicare potest.* 30. *Competit eidem quoque  
facultas reducendi numerum Missarum ob tenuitatem redditum, & raritatem  
Sacerdotum.* 31. *Declaratio Cardinalium auctoritate Urbani VIII. edita, qua  
hæc potestas Episcopis rursus adempta fuit, usu non videtur esse recepta.* 32. *Be-  
neficia in Ecclesiis vetustate collapsis an sint supprimenda, remissive.*

Sup-